

LOCUS
DE CERTITUDINE
ELECTIONIS, SEU PERSE-
VERANTIA SANCTORUM,
θεμάτως propositus,

Quem,

Auxiliante D E O ,

P R A E S I D E R E V E R E N D O E T
C L A R I S S I M O V I R O , D N . J O H A N N E
P I S C A T O R E , S . T H E O L O G I A E I N
I l l u s t r i H e r b o r n æ P r o f e s s o r e : κατὰ
διωγμὸν d e f e n d e r e c o n a b i t u r

J O H A N N E S T E X T O R B I P O N T I N U S .

• S (:) S •



H E R B O R N E N A S S O V I O R U M ,
Ex officina typographica Christophori Corvini.

c i o i o C X I .

**REVERENDIS, DOCTISSIMIS,
ATQ. CLARISSIMIS VIRIS,**

Dn. PHILIPPO-MICHAELI BEUTHERO, S.
Theologiæ Doctori, Pastori Bipontino & totius Ducatus
Superattendenti dignissimo, vigilansimmo.

Dn. BARTHOLOMÆO HEXAMERO,
Ecclesiæ Hornbacensis Pastori, & S. Theologiæ in Schola
illa egregiâ Professori dignissimo.


Dn. DANIELI TELONÆ ECCLESIÆ
reformatæ apud Marco-Duranos Pastori dignissimo.

Dn. JOHANNI HERMANNO, ECCLESIÆ
Niderhusanæ Pastori vigilansimmo.

D.D. Euergetis suis plurimùm honorandis,

Gratitudinis ergo offert

J OHANNES T EXTOR Author
& Respondens.



THEISIS I.

 *I* gratia divina aliâs in electis magna est, certè in dono perseverantiae conspicua fit, ubi in fide in Christum & regeneratione per Sp. sanctum, studioq; pietatis conservantur: quam qui præstare potest, Salvatoris testimonio salvus erit. *Matth. 24. v. 13.*

II.

Est autem certitudo electionis, seu perseverantia sanctorum, beneficium Dei gratuitum, quo donati electi in πληροφορίᾳ ψοθεσίᾳ (quam ad se quoq; pertinere sciunt) & studio pietatis ad extremum vitæ halitum perseverant, promissamq; coronam vitæ æternæ certissimè assequuntur.

III.

Causa προνύμιου seu impulsiva antecedens illius gratiæ electis datæ, est (a) beneplacitum Dei, qui eos ad se (b) trahit, iisdemq; dat (c) velle & perficere, liberâ voluntate regendo eorum voluntatem, ut fiduciâ filiali ei adhærent, in timore ipsius incedant, juxta omnia ejus præcepta vivere studeant, omnibusq; potius creaturis renuncient, quâm ut ab amore ejus se separari patiantur.

a *Eph. 1. v. 9. & 13.* b *Joh. 6. v. 44.* c *Phil. 2. v. 13.*

IV.

Hujus certitudinis considerari gradus debent. Fides enim in aliis est major, quâm in aliis, nec non in uno eodemq; nunc major, nunc minor est.

V.

Fides est certa & fiducialis assensio, quâ fidelis promis-

sioni gratiæ assentitur, & credit, eam ad se non minus, quām ad omnes alios credentes pertinere. In qua deinde ad finem vitæ perseverat, immotaq; constantiâ vitam æternam sperat.

VI.

Hanc in quovis electo adeò efficaciter vocato indubitatam esse affirmamus, ut (a) portæ inferorum ei non prævalent. Illa inquam (b) domus est super petram exstructa, quam procellæ & aquæ deturbare nequeunt.

a Matth. 16.v.18. b Matth. 7.v.24 25.

VII.

Hinc triumphus ille Apostoli, Rom. 8.v.38. & 39. Certo persuasus sum, quòd neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; prælentia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; etiam ulla creaturarum poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro. Item v.31. & 36. Quis nos separabit à charitate Christi? num afflictio? num angustia? &c. Imò in his omnibus plus quām victores sumus, per eum qui dilexit nos.

VIII.

Oλιγοπιστα interdum quidem titubant credentes, de præsentia & auxilio divino dubitantes, præterquā quòd in mente multæ adhuc ignorantiae hærent, inq; cordis affectibus magna adhuc manet ἀταξία: ita tamen cadunt, ut resurgent. Sustentat enim Dominus manus justorum: fidesq; eorum nunquam ita extinguitur, ut penitus aboleatur & deficiat. A Jehovā gressus viri statuuntur, cuius delectatur viâ, Ps. 37.v. 23. Exemplum Davidis consideretur, qui quum adulterio & homicidio pollutus graviter prostratus esset, petiit tamen, ne Deus Sp. sanctum à se auferret, Ps. 51.v.13. Deus eorum quos in ma-

in manus notavit, minus oblidisci potest, quam mater filii,
Esa. 49. v. 15. & 16.

IX.

Imò verò ipsæ etiam tentationes electis in bonum cedunt, & experimentum præbent. *Rom. 5. v. 3.* Scimus, quòd afflictio patientiam pariat &c & c. 8. v. 28. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ex proposito vocati sunt.

X.

Quemadmodum enim Deus propter se omnia fecit, *Prov. 16. v. 4.* Sic etiam propter electos omnes occasiones præcavet, ne corrumpantur & deficiant.

XI.

Nisi enim hoc esset, fieri non posset quin cum reprobis corrumperentur ac perirent.

XII.

Hactenus indicata est perseverantiae sanctorum causa *προνύμην, itemq; causa efficiens principalis.* Sequitur ut dicamus etiam de aliis causis.

XIII.

Igitur causa procatarctica quæ Deum movet, ut credentes in fide conservet, est tum sacrificium Christi, tum intercessio ejusdem, tum verò etiam preces ipsorum credentium. Nam Christus sacrificio suo impetravit electis (a) remissionem peccatorum & gratiam Dei, ac proinde donationem Sp. sancti : qui in illis fidem & efficit & conservat. Intercessione etiam suâ ut olim in terris à Deo impetravit, ne deficeret (b) fides Petri cæterorumq; electorum Apostolorum : ita etiam hodie in cælis ab eodem impetrat, ne deficiat fides ullius verè creditis. Preces autem sanctorum conducere ad perseverantiam in fide, percipitur ex eo, quòd nos (d) jussit De-

um orare, ne nos inducat in temptationem, quodq; (e) iussit
orare apostolos tempore suæ passionis, ne intrarent in tem-
tationem.

a Hebr.9.v.15. b Luc.22.v.32. c Rom.8.v.34. Hebr.9.v.24.
d Matth.6.v.13. Luc.11.v.4. e Matth.26.v.41.

XIII.

Causa verò instrumentalis, quâ Deus ad fidem in electis
conservandam utitur, est prædicatio meditatioq; (a) verbi
Dei, & (b) usus sacramentorum: nec non (c) afflictiones pro-
pter confessionem Evangelii.

a Eph.6.v.13. & 17. b 1.Cor.10.v.1.2.3.4. & 5. c Rom.5.v.3.4.
& 5.

XV.

Etsi autem credentes interdum labuntur, & quidem
graviter: ut videre est in Davide committente adulterium
atq; homicidium, & in Petro negante Christum: tamen in-
terim à fide non deficiunt, nec illam amittunt. Id quod de
Davide testantur hæc ipsius in adulterium atq; homicidi-
um lapsi verba, Spiritum tuum sanctum ne aufer à me, Ps.51.
v.13. De Petro autem idem testantur verba ipsius Christi, Luc.
22.v.32. Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.


XVI.

Porrò quum hæc de perseverantia sanctorum doctrina
magni sit momenti, quippe quæ credentibus maximum so-
latium affert: operæ pretium est, ut eam claris sacræ scriptu-
ræ testimoniis confirmemus. Matth.12.v.20. Arundinem
quassatam non confringet, & linum fumigans non extin-
guet, usquedum protulerit ad victoriæ judicium. Matth.13.
v.23. Qui in terram bonam exceptit semen, is est qui sermo-
nem audit, & intelligentiam intendit, qui videlicet fructum
fert: editq; aliud quidem centena, aliud sexagena, aliud verò
tricena.

tricena. *Inc. 22.v.32.* Sed ego deprecatus sum pro te, ne deficit fides tua: tu igitur aliquando quum te converteris, stabili fratres tuos. *Job. 10.v.28.* Ego vitam æternam dō eis: nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam ē manibus meis. *Rom. 8.v.38.* Mihi persuasum est, neq; mortem, neq; vitam, neq; angelos, neq; principatus, neq; potestates, neq; præfentia, neq; futura, neq; sublimitatem, neq; profunditatem, neq; ullam rem aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom. 11.v.28.* Dona & vocatio Dei ejusmodi sunt, ut eorum ipsum pœnitere non possit. *1. Cor. 10.v.13.* Tentatio vos non cepit nisi humana; fidelis autem est Deus qui non sinet vos tentari supra id quod potestis, sed una cum temptatione præstabit etiam exitum, ut possitis sufferre. *2. Tim. 2.v.19.* Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus eos, qui sunt sui: & Abscedat ab injustitia quisquis nominat nomen Christi. *1. Pet. 1.v.5.* Qui virtute Dei custodimini ad salutem quæ parata est patefieri tempore ultimo. *Et v.23.* Regeniti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, id est, per sermonē Dei vivi, & manentem in æternum. *1. Joh. 2.v.19.* E nobis egressi sunt, quia non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permanissent utiq; nobiscum: sed egressi sunt ex nobis, ut patefieret, non omnes esse ex nobis. *Pj. 1.v.3.* Vir ille, cuius oblectatio est in lege Jehovæ, est sicut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, & ejus folium non decidit, ideo quicquid faciet prosperabitur. *Esa. 42.v.3.* Arundinem quassatam non franget, & ellychnium fumigans non extinguet. *Jer. 32.v.40.* Et pangam ipsis fedus perpetuum, fore ut non avertam me à prosequendis ipsis, beneficiendo ipsis, & reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant à me. *Ose. 2.v.19.* Et despōnsabo te mihi in seculum: despōnsabo te, inquam, mihi justitia judicioq; &

benignitate ac misericordiâ. Hæc testimonia ejusmodi
sunt, ut ea omnibus veritatis studiosis satisfactura speremus.
Quod restat, Deum oramus, ut sicut vera fide nos per Evan-
geliî prædicationem atq; meditationem donavit, sic
in eâdem nos per eandem ad finem
usq; conservet, Amen.





eprecatus sum pro te, ne de-
do quum te converteris, sta-
bo vitam æternam do eis: nec
et eas quisquam è manibus
m est, neq; mortem, neq; vi-
us, neq; potestates, neq; præ-
atem, neq; profunditatem,
osse nos separare à charitate
omino nostro. *Rom. 11.v.28.*
ut, ut eorum ipsum pœnitere
vos non cepit nisi humana;
et vos tentari supra id quod
præstabit etiam exitum, ut
dum tamen fundamentum
ovit Dominus eos, qui sunt
quis nominat nomen Chri-
stodimini ad salutem quæ
no. *Et v.23.* Regeniti non
aptibili, id est, per sermonem
um. *1.Joh. 2.v.19.* E nobis
bis: nam si fuissent ex no-
: sed egressi sunt ex nobis,
obis. *Pj. 1.v.3.* Vir ille, cuius
cutarbor plantata ad rivos
t in tempore suo, & ejus
d faciet prosperabitur. *Esa.*
on franget, & ellychnium
40. Et pangam ipsis fedus
me à prosequendis ipsis,
n mei indam animo ipso-
19. Et desponsabo te mihi
n, mihijustitia judicioq; &